



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Cursus Theologicus**

**Gormaz, Juan Bautista**

**Augustae Vindelicorum, 1707**

Sect. 1. An, & quomod`cum Evidentia in attestante dari possit actus  
Divinæ Fidei.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81950](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81950)

& evidentia dividi solet in Metaphysicam, quæ essentialiter connectitur cum objecto, ut ab ipso actu affirmatur v. g. totum est majus sua parte: ex ente ab alio essentialiter inferitur ens à se; in Physicam, quæ non essentialiter, sed ex natura rei connectitur cum objecto v. g. ubi dantur accidentia panis, datur panis; quæ ex natura rei est vera, solumque potest de potentia Dei falsificari, ut patet in Eucharistia, ubi sunt accidentia panis, & non est substantia panis. Sic etiam est verum ex natura rei, quòd si quis mittatur in fornacem ardentem, comburetur, & tamen de potentia absoluta oppositum evenit in fornace Babylonica; & tandem in moralem, quæ non connectitur cum objecto essentialiter, aut ex natura rei, cum sine miraculo oppositum evenire possit, sed ex merito magno humanorum testimoniorum, aut ex fundamento, quod non permittit prudens iudicium in oppositum, evenire solet; sic est mihi moraliter evidens, quòd detur Constantinopolis, & quòd si quis centies jaciatur talos ludorios sine ulla arte, non semper jaciatur idem punctum. Præfens igitur controversia est, an dari possit evidentia in attestante, & an cohæreat actus divinæ fidei: pro cuius resolutione fit

SECTIO I.

An, & quomodo cum evidentia in attestante dari possit actus divinæ fidei?

517. **E**videntia in attestante, nihil aliud est, nisi evidentia de divina revelatione. Ille enim, qui clarè & evidenter ita cognosceret revelationem v. g. de Myserio Trinitatis esse divinam, sive à Deo, evidenter cognosceret Deum restitificari Trinitatis mysterium, ac proinde haberet evidentiam in attestante; hæc autem evidentia dupliciter considerari potest. Primò secundum se solum absque alia evidenti cognitione sibi conjuncta. Secundò, prout est conjuncta cum alia duplici cognitione clara, & evidenti, quarum una sit, quòd Deus non potest nec falli, nec fallere. Altera verò, qua evidenter cognoscit verum sensum illius revelationis, ita ut formari possit iste discursus: Deus non potest falli, nec fallere; sed modò in sensu literalis dicit mihi, quòd Deus sit Trinus & Unus; ergo Deus est Trinus & Unus. In quo syllogismo præmissæ sunt evidenter notæ, & conclusio ex illis legitime inferitur. Quare præfens difficultas non est de evidentia primò modò accepta secundum se solum, quando is, qui cognoscit revelationem esse à Deo, non intelligit verum sensum revelationis, siquidem revelatio ita cognita procul dubio relinqueret obscuritatem sufficientem ad fidem, proindeque de evidentia in attestante secundò modò considerata controversia est.

518. **T**riplex est sententia: Prima docet, non posse dari in hac vita, sive extra visionem beatificam evidentiam in attestante. ita Bannez 2. 2. quæst. 5. art. 1. quem pauci sequuntur. R. P. Gormaz Theolog. Tom. 1.

Secunda defendit, possibilem esse talem evidentiam in attestante, ac actum fidei divinæ non posse cum illa componi. ita Durandus in 3. quæst. 9. n. 12. & dist. 31. quæst. 4. n. 1. Victoria 2. 2. quæst. 5. art. 1. & Aragon ibidem, eamque probabilem defendit Joann. à S. Tho. disp. 2. art. 2. quem alij sequuntur. Tertia sententia tenet, posse actum fidei stare in eodem intellectu simul cum evidentia in attestante. ita Exim. Doctor disp. 3. sect. 3. n. 26. Valentia 2. 2. quæst. 5. parte 1. Vasquez 1. parte tom. 2. disp. 135. Turrianus, Coniuk, Arriaga, & alij, quos citat, & sequitur Charleton disp. 11. sect. 4. quibus addo Cajetanum 2. 2. quæst. 5. art. 1. Ferrariensem 3. contra Gentes cap. 40. Alvarez in 3. part. disp. 61. conclus. 2. Philippum à SS. Trinitate 2. 2. disp. 2. dubio 5. Gonet disp. 1. de objecto fidei art. 2. §. 1. Contenson diss. 2. c. 1. Maurum quæst. 121. & Lugum, qui pro se alios citat. Cæterum inter hos Authores est magnum dissidium: nam aliqui judicant evidentiam in attestante non facere evidentem rem attestatam. ita Ferrarientis, Lorca, Becanus, Vasquez, Amicus, Cajetanus & plures alij Thomistæ; alij verò censent evidentiam in attestante reddere etiam evidentem rem attestatam. ita Eximius Doctor Valentia, Coniuk, Lugo, Oviedo, Arriaga, Hurtado, & alij: ut hæc omnia breviter decidamus

519. **A**ssero 1. Extra visionem beatificam dari potest evidentia in attestante. Probat 1. Evidentia in attestante est evidens, & certa cognitio revelationis divinæ; atqui divina revelatio, cum sit manifestatio creata divini conceptus ex dictis num. 232. est cognoscibilis evidenter extra visionem beatificam; ergo potest dari evidentia in attestante extra visionem beatificam. Probat 2. sicut possumus cognoscere evidenter vocem alicujus hominis loquentis absque eo, quòd ipsum videamus, ut experientia constat, & patet in caeco à natiuitate: ita potest Deus manifestare vocem suam, sive externam locutionem, qua loquitur nobis, & restitificatur aliquid absq; eò quòd ipse Deus à nobis intuitivè videatur; nulla enim assignari potest repugnantia, ne per lumen supernum ostendat nobis evidenter Deus illam vocem suam, ut ab ipso Deo procedentem, quamvis Deus ipse intuitivè non videatur; sicut modò cognoscimus creaturam, ut procedentem à Deo, quin Deum intuitivè videamus. Confirmatur. Licet ego nunquam viderim Petrum, potest Deus mihi infundere noticiam ac species de voce Petri, ut illum ex voce cognoscam, non minus, quam eum cognoscant alij, qui Petrum viderunt, & audierunt; ergo pariter in nostro casu.

520. **P**robat 2. Potest creatura rationalis per species à Deo infusas intuitivè videre actum fidei supernaturalis, qui utpotè metaphysicè certus habet necessariam connexionem cum revelatione divina; sed qui evidenter cognoscit unum

unum connexum cum alio, cognoscit evidenter dari alterum, sicut nos eo ipso quod evidenter cognoscimus creaturas existentes connecti cum Deo, cognoscimus ex illis per evidentem demonstrationem dari Deum, quin Deum intuitivè cognoscimus; ergo qui ita cognosceret illum actum fidei, cognosceret evidenter revelationem, ut procedentem à Deo, quin Deum evidenter cognosceret. Confirm. Potest Deus infundere alicui intellectui Angelico, vel humano supernaturales species, per quas formatur Verbum, sive iudicium supernaturale, per quod Deus homini illi, vel Angelo loquatur, & hoc vel illud dicat, simulque addat se hoc sentire, vel dicere; unde iudicium illud esset vera externa locutio: rursus potest Deus talem hominem elevare, ut hoc iudicium secundum Dei locutionem reflexè per alium actum supernaturalem, & quidditativum evidenter cognoscat: sed in hoc casu talis homo sciet evidenter Deum per primum illud iudicium, & infusum loqui, & rem per illud manifestatè revelare, quin Deum intuitivè videat; ergo potest cognoscere evidenter revelationem aliquam esse à Deo, quin Deum intuitivè videat, proindeque extra visionem beatificam dari potest evidentiā in attestante.

521. Probatur 3. Probabile est, quod primus Angelus de facto dum esset viator, habuerit evidentiā in attestante de Dei revelatione, quatenus certò & evidenter cognovit, se à solo Deo posse illuminari, circa quod saltem de potentia absoluta nulla assignari potest implicantiā, quod ad rem præsentem factis est. Eodem modo probabile est, quod beatissima Virgo, cum sciret se non peperisse via ordinaria, & simul Virginem se esse, & Matrem, talèque signum accepisse in testimonium Divinitatis Filij, quam genuerat, habebat evidentiā in attestante de Christi Divinitate. Idem dici solet de Lazaro, cum certo sciret Christum in testimonium suæ Divinitatis ipsum à mortuis suscitasse; David etiam, dum spiritu Prophetico illuminatus fuit à Deo, probabilius est, quod de facto talem evidentiā habuerit in attestante juxta illud 2. Regum 23. *Mibi locutus est fortis Israel Dominator hominum, sicut lux aurora oriente sole rutilat absque nubibus.*

522. In eo quippe testimonio appositè comparatur revelatio illa luci auroræ ad significandum fuisse evidentiā in attestante, quo distinguitur tum à cognitione clara omnino, & meridiana, quæ est visio beatifica, tum à cognitione infallibili, & obscura, quæ est cognitio fidei, qua videmus nunc per speculum in ænigmate. Tandem valde probabile est, quod Apostoli, & Evangelistæ eandem habuerint evidentiā in attestante, cum enim Divina Providentiā infima per media regat, & administret, congruum videtur, quod primi fidei Doctores, quibus Deus immediatè mysteria revelavit, & per quos nobis credenda proposuit, majorem ali-

quam illorum habuerint notitiā, id est evidentiā in attestante, quæ inter fidem, & visionem media est. Unde 1. Joannis 1. dicitur: *quod vidimus, testamur, & annuntiamus vobis, ut vos credatis.* Ubi asseritur vidisse Apostolos, quod nos credimus, vidisse scilicet ratione evidentiā in attestante; sic Paulus 2. ad Timotheum 1. *scio enim, cui credidi, & certus sum.*

Affero 2. Qui habet evidentiā in attestante, de qua loquimur, eo ipso habet evidentiā rei attestatæ. Probatur 1. supposita eā evidentiā in attestante iste est syllogismus demonstrativus: quicquid Deus dicit, est verum; sed Deus dicit, Verbum esse Incarnatum; ergo verum est, Verbum esse Incarnatum; etenim prima ex hisce propositionibus est lumine naturæ nota, ut supponimus ad controversiam: quid enim evidentiū, quam Deum veritatis fontem, & auctorem, mentiri non posse, aut falsum aliquid attestari. Secunda etiam propositio, ut supponimus, est evidenter cognita, cum in eo fieri evidentiā in attestante, de qua agimus; sed exinde tertia propositio, scilicet verum est, Verbum esse Incarnatum, manet evidens: quandoquidem quicquid habet, accipit à duabus illis propositionibus evidentiibus, quæ non possunt non refundere evidentiā in conclusionē; ergo qui habet evidentiā in attestante, de qua loquimur, eo ipso habet evidentiā rei attestatæ.

Responder Vasquez, conclusionem illam esse veram, non tamen evidentem, quia medium, in quo fundatur, est solummodo extrinsecum, non intrinsecum, cum non sit ex causa, vel effectu; quare præmissæ illæ generare nequeunt evidentiā simpliciter, sed tantum secundum quid. Generant enim evidentiā consequentiā, cum evidens sit, illam consequentiā legitime deduci; at generare non possunt evidentiā consequentiā, seu rei attestatæ; nam hæc haberi solum potest ex ipsis terminis, vel ex medio intrinseco. Contra tamen 1. Quæ in creatis, vel ex conjuncto ex prædictis creatis & increatis sunt evidenter eadem uni tertio, sunt evidenter eadem inter se; atqui in duabus illis propositionibus cognoscuntur extrema eadem uni tertio; ergo connectio eorum inter se non est evidens; ac proinde conclusio non solum est evidens evidentiā consequentiā, sed etiam evidentiā consequentiis. Contra 2. In eo gradu, quo ea extrema connectuntur in præmissis cum medio, connectuntur in conclusione inter se; atqui extrema illa in præmissis connectuntur evidenter cum medio; ergo in conclusione connectuntur etiam evidenter inter se; in quo stat evidentiā consequentiis.

Contra 3. Ut aliqua sit vera demonstratio, non requiritur indispensabiliter, quod sit à causa, vel ab effectu positivè; sed sat est, quod sit vel à causa, vel à medio, quod non est causa, si proponatur per præmissas evidentes, ex quibus conclusio evidenter deducitur; ac proinde non

non solum habet evidentiam consequentiæ, sed etiam consequentis: atqui eodem saltem modo se habent præmissæ à nobis adductæ supposita eâ evidentia in attestante: ergo non solum pariunt evidentiam consequentiæ, sed etiam evidentiam consequentis. min. & consequ. tenent, & maj. patet: nam istæ sunt veræ demonstrationes: omne totum est majus sua: sed homo est totum, & manus est pars; ergo homo est major manu. Item omnes demonstrationes Mathematicæ v. g. quæ sunt æqualia uni tertio, sunt æqualia inter se: sed hæ duæ lineæ sunt æquales uni tertio; ergo sunt æquales inter se, & id genus alia; atqui istæ demonstrationes nec sunt à causa, nec ab effectu; ergo non requiruntur ad demonstrationem, ut procedat ex medio tanquam ex causa, vel ex effectu. **Contrà 4.** Non est assignabilis alia ratio, quare ex causa, & effectu procedat conclusio evidens evidentiam consequentis, nisi quia præmissæ sunt evidentes, & rectæ dispositæ, atque ex illis rectè, & evidenter deducitur conclusio ex præmissis evidentibus, licet non sint per causam, vel per effectum, sed per medium extrinsecum; ut ex allatis demonstrationibus constat; ergo conclusio ex illis deducta non solum est evidens evidentiam consequentiæ, sed etiam evidentiam consequentis. Vide à num. 530.

526. **Probat 2. conclusio.** Tunc res testificata est evidens, quando per cognitionem evidentem exprimitur; sed ex evidentia in attestante modò, quo procedit controversia, quando scilicet altera præmissa evidens illi adjungitur, res testificata exprimitur in conclusione per evidentem cognitionem; ergo ex illa evidentia in attestante manet quoque evidens res attestata. **Probat 3. conclusio.** Conclusio in demonstrationibus num. 523, & num. super. adductis, non solum est legitime deducta ex præmissis, sed ex præmissis quidem evidentibus; atqui conclusio legitime deducta ex præmissis evidentibus non habet, à quo expoliari possit evidentiam, ne evidenter exprimat rem illam testificatam; ergo conclusio deducta ex illa evidentia in attestante evidenter exprimit rem attestatam. **Confirmatur præoccupando** alteri parti responsum: hujusmodi conclusiones non solum sunt modales, qualis est prima, quàm dedimus num. 523. quæ in conclusione non infert, Verbum est Incarnatum; sed verum est, Verbum esse Incarnatum: sed sæpè sunt categoricæ, ut in hoc, & similibus syllogismis: Quidquid Deus dicit esse, est: sed Deus dicit, Verbum esse Incarnatum; ergo Verbum est Incarnatum; ergo sive demonstratio reducat ad conclusionem evidentem modalem, sive ad conclusionem evidentem categoricam, ex evidentia supra dicta in attestante infertur per evidentem conclusionem evidentiam rei attestatæ.

527. **Probat 3. ex istis præmissis evidentibus:** Quidquid Deus dicit esse, est: sed Deus dicit, Verbum esse Incarnatum; hæc conclusio, ergo

Verbum est Incarnatum, non minùs infertur evidenter evidentiam consequentiæ, & evidentiam consequentis, quàm ex istis alijs præmissis: essentialiter repugnat dari ens causatum, quin detur prima omnium causa incausata, scilicet Deus; atqui datur ens causatum, qualis est quæcunque creatura; inferatur hæc altera conclusio; ergo datur prima omnium causa, scilicet Deus; atqui in sententia Adversariorum hæc secunda conclusio est evidens evidentiam consequentiæ, & evidentiam consequentis; ergo etiam illa prima. **Confirmatur, & præoccupatur solutio Turriani, & aliorum docentium, illam conclusionem esse quidem evidentem non simpliciter, sed tantum in attestante:** etenim non minùs evidentes sunt præmissæ illius primi syllogismi, quàm hujus secundi. **Nec minùs rectè in uno, quàm in altero infertur conclusio;** atqui in hoc secundo syllogismo existentia Dei manet nobis simpliciter in se ipsa evidens, & non tantum in præmissis; ergo & in secundo res attestata manet nobis simpliciter evidens in se ipsa, & non tantum in præmissis. **Probat 4. conclusio.** Ideo existentia Dei manet in se ipsa nobis simpliciter evidens, quia deducitur ex duabus præmissis evidentissimis, quæ sua claritate non minùs necessitant intellectum ad assensum, quàm reliquæ aliæ præmissæ in demonstrationibus Metaphysicis, Physicis, vel Mathematicis; atqui eodem modo procedit conclusio, qua in illo Syllogismo affirmamus rem attestatam; ergo &c.

528. **Respondebis 1. ex Contenson dissert. 2. de fide cap. 1. conclusionem procedentem, vel ex causa, vel effectu esse evidentem evidentiam consequentis; non verò illam, quæ procedit ex evidentia in attestante.** Philosophus namque nullam aliam demonstrationem agnovit, nisi vel à priori ex causa, vel à posteriori ex effectu: ea autem, quæ procedit ex evidentia in attestante, non ita se habet. **Ratio etiam ulterior est;** quia causa in effectu sui participatione necessariò imprimat, subindèque per effectum evidenter cognoscitur existentia causæ, cujus existentia imitationem cernimus in effectu; unde viso effectu non credimus causam existere, sed scimus, nec in auditu solo, sed in visu nititur cognitio nostra; quod eodem prorsus modo in sua linea procedit, quando ex causa inferimus effectum. **At verò in revelatione quæ tali non cernitur res revelata, sed auditur: Fides autem ex auditu infallibilis est quidem Dei testimonium; sed propterea non videmus rem existere, sed credimus, sed obtemperamus, sed captivamus intellectum nostrum in obsequium fidei: non enim est formalis ista conclusio: Trinitas est, quia Deus revelat: Revelatio quippe non infundit, sed supponit rei revelatæ existentiam, quàm deregit; sed ista est legitima illatio, credendum firmiter est, & sine dubitatione tenendum**

Trinitatem esse; quia Deus revelat: immobilitas ergo divini testimonij, & Trinitas vocis illius tollit quidem dubium, sed non parit scientiam, quia tamen Deus difficillima quæque, & intellectum superantia proponens dignissimus sit, cui credatur: res tamen revelata non est per se connexa cum testimonio; unde ex pondere autoritatis quantumvis infinitæ, non directè inferitur, Trinitatis existentiam videri, cum nec in se videatur, nec in aliquo suo vestigio, sed solum inferitur credendum esse Trinitatem existere: major ergo, & intimior est connexio effectus cum causa, quam sit revelationis cum re revelata: effectus enim est expressio causæ, à qua essentialiter pendet: at verò mysterium revelatum à revelatione non pendet, nec revelationem per se infundit, quia sive reveletur, sive non, idem est in se ipso: quando ergo revelatur, non scientiam parit, sed aures petit, & fidem.

529. **Contra 1.** Licet mysterium revelatum non sit causatum à revelatione, nec actus fidei, quo illud affirmamus, nitatur præmissis prævijs, sed verbo Dei; at quando illud affirmamus ex vi præmissarum evidentium, quarum altera est evidens in attestante, præmissæ illæ evidentes habent evidentem connexionem cum mysterio, ita ut necessiter intellectum ad evidentem conclusionem, quæ non est actus fidei, sed conclusio Theologica; ergo licet per actum fidei non attingatur, ut evidens res attestata; at per actum illum Theologicum attingitur res attestata ut evidens. Probatum consequenter quia in demonstratione Mathematica, quamvis medium nec sit rigorosè causa, nec effectus, eo tamen ipso, quod præmissæ sint evidentes, & contineant evidentem connexionem cum conclusione, ea conclusio est evidens, ut patet in isto syllogismo superius adducto. Quæ sunt æqualia uni tertio, sunt æqualia inter se; sed hæc duæ lineæ sunt æquales uni tertio; ergo sunt æquales inter se.

530. **Contra 2.** Quando Philosophus docet, demonstrationem esse vel à priori, vel à posteriori, hoc est per causam, vel per effectum, nomine causæ intelligit ea, quæ vel sunt causæ, vel se tenent ex parte causæ; sic intelligunt omnes cognitionem infallibilem dirigentem causam rationalem ad operandum se tenere ex parte causæ, atque ex illa inferri demonstrationem à priori, & ipse Aristoteles in hoc sensu se explicat lib. 1. Poster. textu 30. dum revocat causam non scintillandi non tantum ad Altra, sed etiam ad eorum propinquitatem, & causam scintillandi, non tantum ad astra, sed etiam ad eorum distantiam, ex qua conficit demonstrationem, propter quid sive à priori, tum etiam nomine effectus intelligit omnia, quæ sunt quomodolibet posteriora, vel comitantia ipsum effectum, dummodo sint cum illo essentialiter connexa; atqui illa revelatio, quæ Deus dicit, dari v. g. Incarnationem, aut Trinitatem esse essentialiter à Deo prout sci-

ente se esse Trinum, & Verbum esse Incarnatum; ergo per revelationem potest tanquam ex effectu evidenter innoscere scientia, quæ Deus cognoscit se esse Trinum, & Verbum esse Incarnatum. Quare licet præmitteremus ea omnia principia, quæ hæc responso sibi assumit, malè exinde inferemus, quod per evidentiam illam in attestante non posset haberi evidentia rei attestata.

Quod sic ostendo. Per illam scientiam Dei evidenter abstractivè cognitam & demonstratam ex revelatione, tanquam ex medio innosceret evidenter à priori tanquam ex causa objectum, quod ea scientia directivè respicit; atqui objectum, quod ea scientia directivè respicit, est res ut attestata; ergo per illam scientiam evidenter abstractivè cognitam innosceret evidenter à priori tanquam ex causa res ut attestata. En argumentum, quod in suis principijs valde premit Adversarios, quin potius ut plures docent, licet ad demonstrationem positivè à posteriori requiratur, quod fiat ex effectu tanquam ex medio, ut ad demonstrationem negativè à posteriori fiat, quod fiat demonstratio ex medio aliquo, quod non sit causa, neque effectus, quod valde consonum est menti Philosophi, qui in textu cit. num. superiori agnoscit ut veras demonstrationes mathematicas, quarum plures solum sunt posteriores negativè ut ex num. 325. quod clarè constat etiam ex ipsis Philosophi verbis, qui sic habet: *nihil enim prohibet eorum, quæ conversim prædicantur, notius aliquando esse, quod est, non est causa, quare erit per hoc demonstratio.* Quo respiciunt illi, qui dicunt, demonstrationem esse trimembrem. Primam vocant demonstrationem ex causa. Secundam ex effectu. Tertiam ex comitante, sive ex medio, quod neque est causa, neque effectus.

**Contra 3.** Etenim in demonstratione à priori per causam innoscebat evidenter effectus, & in demonstratione à posteriori per effectum innoscebat evidenter causa, quatenus in connexionione evidenter cognita causæ cum effectu videtur mediare effectus, & in connexionione effectus cum causa videtur mediare causa; atqui etiam in connexionione evidenter cognita revelationis, quam Deus, qui nec falli, nec fallere potest, revelavit se esse Trinum, & unum, videtur mediare Deum esse Trinum & Unum; ergo etiam per divinam revelationem evidenter cognitam innoscebat evidenter mysterium revelatum. **Contra 4.** Connexio revelationis divinæ cum objecto revelato non est minor, quam connexio causæ cum effectu, v. g. interpositionis terræ cum eclipse lunæ; ergo sicut per causam essentialiter connexam potest evidenter innoscere effectus; sic per revelationem essentialiter connexam potest essentialiter innoscere objectum revelatum. Ceterum hæc omnia clariùs constabunt ex impugnatione alterius responsonis, quam statim subijcio. **Respondebis 2.** ex Conero disp. 1. de ob-

jecto fidei art. 7. §. 1. posse nos habere evidentiam de existentia Dei per demonstrationem ex creaturis, non verò de re attestata per demonstrationem ex evidentia revelationis, sive in attestante. Ratio ejus est, quia licet creatura sit medium Deo extrinsecum formaliter, non est medium Deo extrinsecum virtualiter; siquidem effectus, licet non sit formaliter, est tamen virtualiter in sua causa; ac proinde quæcunque creatura est virtualiter in Deo, & quoad omnia, quæ habet, creatura dici potest virtualiter Deo intrinseca; unde, qui videt creaturam per demonstrationem, ut connexam cum Deo, videt etiam abstractivè Deum; at res testificata non respicit revelationem tanquam medium intrinsecum, neque formaliter, neque virtualiter; ideòque dici non potest, quòd contineatur virtualiter in revelatione: quare scientia evidens de revelatione dici nullo modo potest visio, seu scientia evidens de re revelata, & testificata. Cæterum hæc levitia sunt, & pugnant contra Adversarium.

534.

Quare  
Contra 1. Revelatio divina utpotè essentialiter connexa cum effectu revelato, atque exigens prædicata talis effectus, est virtualiter effectus, quantum ad exigentiam suorum prædicatorum; siquidem est verum dicere, effectum exigere sua prædicata; & est etiam verum dicere, divinam revelationem ea prædicata effectus exigere; quod satis est, ut, quantum ad hoc munus, revelatio divina de eo effectu dicatur virtualiter talis effectus, ut constat à num. 513. atqui juxta responsionem Adversarii visio abstractiva unius, ut contenti virtualiter in altero, est visio abstractiva alterius; ergo visio abstractiva revelationis, ut connexa cum re revelata, & attestata, est visio abstractiva rei revelatæ. Contra 2. Per revelationem, quæ reverè est effectus Dei scientis, à quo tanquam à causa procedit res revelata, & attestata, potest ostendi Deus sciens, sive causa rei revelatæ, & attestatæ, ut constat à num. 530. ergo & ostendi potest res revelata, & attestata. Contra 3. Quod constituit causam connexam cum effectu, licet non sit virtus Physica productiva effectus, est causa ad demonstrationem à priori, ut docet Philosophus 1. Poster. textu 30. ubi ait: *Exit per hoc demonstratio, ut quod Planeta propè per id, quod non scintillant.* Proximitas enim stellæ dicitur in hoc sensu causa non scintillandi, & distantia dicitur causa scintillandi; ideòque ex Philosopho sufficit ad demonstrationem à priori. Legatur Maurus in Commentario hujus textus, ubi hæc habet: *Omnes stelle, quæ sunt propè nos, non scintillant; sed Planeta sunt propè nos, ergo Planeta non scintillant.* Demonstratur enim non scintillatio per suam causam, hoc est per proximitatem; ergo revelatio, quæ subsequitur rem revelatam, & attestatam, & est cum ea connexa, satis est ad ostendendam à posteriori rem revelatam, & attestatam.

535.  
Assero 3. Evidentia in attestante quam optimè cohærere potest in eodem intellectu cum actu divinæ fidei de re attestata. Probatur 1. ex D. Thoma citato num. 502. ubi de illo, qui evidenter cognosceret revelationem Dei propter miraculum factum ad illam comprobendam suscitando mortuum, addit: *Ex hoc signo convinceretur ille intellectus videns, ut cognosceret manifestè, hoc dici à Deo, qui non mentitur, licet illud futurum, quod prædicatur, in se evidens non esset; unde per hoc ratio fidei non tolleretur;* ergo ex D. Thoma evidentia in attestante, sive evidentia de eo, quòd talis revelatio sit à Deo, non impedit, quòd intellectus ille eliciat actum divinæ fidei; proindeque actus fidei optimè cohæret in eodem intellectu cum evidentia in attestante. Confirmatur & præoccupatur responsio Joannis à S. Thoma, qui cum Bannez censet, D. Thomam non agere de evidentia testificationis in se, sed de evidentia credibilitatis, quam omnes concedunt posse stare cum fide. Cæterum, quòd loquatur de evidentia in attestante, exinde constat, quia in hoc loco D. Thomas expressè ait: *Ex hoc signo convinceretur ille intellectus videns, ut cognosceret manifestè, hoc dici à Deo, qui non mentitur.* Quæ verba evidentiam testificationis in se, non verò solius credibilitatis aperte declarant: non enim ait, cognosceret hoc esse evidenter credibile, sed dicit: cognosceret manifestè hoc dici à Deo, qui non mentitur; ac proinde ex D. Thoma tunc efformaretur ista evidens demonstratio. Evidens est, Deum non posse mentiri, ac proinde dari, quidquid Deus dicit dari: sed evidens est, Deum dicere, dari hoc mysterium; ergo evidens est, dari hoc mysterium. En quomodo ratione hujus demonstrationis ostenditur non solum evidentia credibilitatis, sed etiam evidentia rei testificatæ; ergo justam doctrinam D. Thomæ optimè cohæret evidentia in attestante cum actu fidei de re testificata.

536.  
Probatur 2. Evidentia in attestante non esset motivum actus divinæ fidei; sed applicatio evidens divinæ revelationis: quamquam enim illa evidentia esset motivum ad demonstrationem, non esset motivum ad eliciendum actum fidei, qui non assentitur rei revelatæ, quia evidenter proponitur, sed quia Deus dicit, quin exinde aut res dicta, aut Deus intuitivè videretur, sed abstractivè; ad eum modum, quo Deus per demonstrationem ex creaturis nunc à nobis cognoscitur; atqui revelatio divina ita attacta, quamvis per actum evidentem abstractivè applicetur intellectui, non excludit actum divinæ fidei; ergo cum illa evidentia in attestante quam optimè cohæret in eodem intellectu actus divinæ fidei. Minor probatur: evidentia abstractiva, quæ non est motivum, sed applicatio motivi divinæ fidei, est nobilior applicatio, quam cognitio obscura, & non evidens: atqui nobilior applicatio motivi divinæ fidei, non potest excludere ab intellectu actum

actum divinæ fidei, ut patet ex inductione per omnes causas: nobilior enim applicatio divinæ bonitatis, non impedit actum charitatis erga divinam bonitatem; nobilior applicatio ignis ad comburendum, non impedit combustionem, & sic de cæteris; ergo cum illa evidentiâ in attestante quàm optimè cohæret actus divinæ fidei.

537. Respondebis, illam evidentiâ in attestante excludere ab eodem intellectu actum divinæ fidei; nam ut ait Augustinus tract. 40. in Joannem: *quid est fides, nisi credere, quod non vides: Fides ergo est, quod non vides, credere; veritas, quod credidisti, videre.* Ex tract. 49. *Hæc enim est laus fidei, si quod creditur, non videtur &c. Nescio, utrum credere dicendus est quisque qui videt; Nam ipsa fides in epistola, quæ legitur ad Hebræos, est ita definita: est autem fides sperandarum substantia, convictio rerum, quæ non videntur.* Ac deinde proposita quæstione de Thoma Apollolo: *Quia vidisti me Thoma, credidisti,* subiungit Augustinus: *Non hoc credit, quod vidit, sed aliud vidit, aliud credit: vidit enim hominem, credit Deum: & sic dicuntur credi, quæ videntur, sicut dicit unusquisque se oculis suis credidisse, non tamen ipsa est, quæ in nobis edificatur fides.* Quapropter quicquid est visum, aut evidens, non potest credi; unde cum ratione evidentiæ in attestante, res attestata maneat evidens, non potest jam fide divina credi ab intellectu, qui illam videt.

538. Contrà tamen 1. Visio, quæ ex natura rei opponitur fidei divinæ, est sola visio intuitiva Dei, vel visio aliqua extra Deum, quæ assumatur, ut immediatam antecedens, sive ut motivum ad credendum, & de qua loquitur Paulus, Augustinus, & alij Patres; non verò illa visio, quæ non est intuitiva Dei, & solum assumitur ut applicatio Verbi Dei: atqui visio, quæ habetur per evidentiâ in attestante, non est visio intuitiva Dei, neque assumitur ut motivum ad credendum, sed est pura applicatio Verbi Dei; ergo talis visio non pugnat in eodem intellectu cum actu divinæ fidei. Probat maj. ex Paulo ad Hebræos 11. ubi ait: *Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, & inquirentibus se remunerator sit:* agit enim ibi de actu fidei justificantis, & necessariæ ad salutem, de qua in fine capituli 10. præcedentis dixerat: *Iustus autem meus ex fide vivit;* proindeque Philosophus Ethnicus, qui evidentiâ habet de Deo, quòd sit, quando convertitur ad fidem, debet divina fide credere, quòd Deus sit, ut salutem possit obrinere; unde Concilium Tridentinum sess. 6. cap. 8. de hac fide, per quam iustus vivit, ait: *Sine qua impossibile est placere Deo, & ad filiorum ejus consortium pervenire.* Pariter, si fidei symbolum non irrisorè, sed ut oportet, seriò dicamus, credimus Deum esse Creatorem visibilium omnium, & invisibilium, licet hoc ipsum per naturalem demonstrationem scia-

mus; ergo cum hac evidentiâ de Deo, quæ non est intuitiva Dei, neque motivum ad credendum, optimè fiat actus divinæ fidei; aliter docti in ordine ad salutem essent deterioris conditionis, quàm indocti, & haberent minorem certitudinem de existentia Dei, cum non possent habere de illa certitudinem fidei, quàm haberent indocti, neque possent, ut debent fidei symbolum recitare, quod ex ipsis terminis satis absurdum apparet; unde, licet ratione evidentiæ in attestante res attestata reddatur evidens, & visa abstractivè, cum hæc evidentiâ non sit intuitiva Dei, neque assumatur ut motivum ad credendum, sed sit pura applicatio Verbi Dei, non potest talis evidentiâ opponi in eodem intellectu cum actu fidei divinæ, quo intellectus assentiret illi rei attestatæ unicè propter infallibile Verbum Dei. Verum de his latius infra in disp. de actu divinæ fidei. Videatur interim Eximius Doctor disp. 6. sect. 2.

539. Contrà 2. Illa sola visio opponitur in eodem intellectu cum actu fidei divinæ de re visa, cui visioni in sacris literis contraponitur nostra fides, & quæ data est viatoribus, ut locò visionis substituat, proindeque ea visione adveniente evacuetur fides; atqui nostra fides non cuicunque visioni, sed visioni intuitivæ Dei ita contraponitur in sacris literis; ergo non evacuetur, neque expellitur ab intellectu videntis extra intuitivam visionem Dei per evidentiâ in attestante; ac proinde componi potest in eodem intellectu cum hac evidentiâ in attestante. Prob. min. ex Paulo 1. Corinthiorum 13. dicente: *Non cognosco ex parte, tunc autem cognoscam sicut & cognitus sum: cum venerit, quod perfectum est, evacuabitur, quod ex parte est: videmus nunc per speculum in enigmate, tunc autem facie ad faciem.* Quibus verbis soli intuitivæ Dei visioni contraponitur Apostolus fidem nostram, etque duntaxat per illam visionem denotat fidem nostram evacuandam esse; ergo &c. Neque alia assignari potest ratio; quare fides ex natura rei opponatur cum visione beatifica, nisi quia homo elevatus ad videndum Deum, dum est extra statum beatificum, habet fidem tantquam substitutum visionis Dei intuitivæ, ideoque hæc fides deficit adveniente ea visione, sicut lux candelæ redditur inutilis, & abijcitur adveniente meridiano sole; quæ sine ratio non militat extra visionem Dei intuitivam, aut in visione, quæ habetur ex evidentiâ in attestante. Ex quo

540. Contrà 3. Ex Augustino hanc nostram doctrinam perspicuè tradente lib. 14. de Trinitate cap. 2. cuius verba hæc sunt: *Quamdiu sumus in corpore, peregrinamur à Domino; per fidem enim ambulamus, non per spiritum, profectum quamdiu iustus ex fide vivit, quamvis secundum hominem interiorem vivit, licet per candelam temporalem fidem ad veritatem nitatur, & ad aeternam, tamen in ejusdem fidei temporali reversione*

tionem, contemplationem, dilectionem, non dum talis est Trinitas, ut Dei jam imago dicenda sit, ne in rebus temporalibus constituta videatur, qua constituenda est in aeternis; mens quippe humana, cum fidem suam videt, qua credit, quod non videt, non aliquid sempiternum videt; non enim semper hoc erit, quod utique non erit, quando ista peregrinatione finita, qua peregrinamur à Domino, ut per fidem ambulare necesse sit, species illa succedet, per quam videbimus faciem ad faciem, sicut modo non videntes, tamen quia credimus, videre merebimur, atque ad speciem nos per fidem perductos esse gaudebimus; neque enim jam fides erit, qua credantur, que non videntur, sed species, qua videntur, qua credebantur. En ex Augustino, quomodo maneat fides usque dum veniat intuitio Dei; ergo fides non opponitur unicuique visioni, sed visioni intuitivæ Dei; quare objectum divinæ fidei, non est utcumque obscurum, seu non visum, sed est obscurum, seu non visum in objecto primario fidei, nempe in ipso Deo intuitivè viso.

541. Probatur 3. Quia certum est, Prophetas habuisse veram fidem divinam. Etenim ad Hebræos 11. testatur Paulus: Abraham per fidem obedisse Deo, credidisse ei, & promissionibus ejus. Deinde Genesis 49. legimus, Jacob per spiritum Propheticum filijs benedixisse; & tamen Paulus ad Hebræos 11. ait: Hoc fecisse per fidem; atque ibidem de Moysè ait, per fidem accepisse omnia, quæ revelavit illi Deus; sed valde probabile est, eos habuisse de facto evidentiam in attestante, ut diximus num. 521. ergo evidentiam in attestante non repugnat in eodem intellectu cum actu fidei. Confirm. ex D. Thoma, qui pluribus in locis adductis ab Exim. Doctore disp. 3. sect. 8. hanc evidentiam in attestante concedit Prophetis: eamque concedunt etiam Scotus in tertium distinctione 24. quæst. unica §. Sed si loquamur, ubi docet, ex efficacia Dei revelantis Prophetam habuisse necessarium assensum, quod Deus esset, qui sibi loqueretur; idem tenet Gabriel ibidem conclusione 7. ubi eam Prophetarum cognitionem vocat evidentem.

542. Eandem sententiam amplectitur Richardus disp. 24. art. 8. quæst. 1. & Ferrariensis. 3. contra gentes cap. 40. §. Ad evidentiam huius difficultatis, quem sequuntur ferè omnes moderni Thomistæ, tum etiam Vega libro 9. in Tridentinum cap. 30. ubi ait: Prophetas non solum habuisse certitudinem fidei, sed etiam perfectiorem, & augustiorem, & fortasse evidentiam sive immediatè per lumen Propheticum, sive per discursum. Videtur etiam favere Augustinus lib. 11. de civitate Dei cap. 3. ubi ait: de invisibilibus oportet credere his, qui in incorporeo lumine hæc disposita esse didicerunt. Favet denique modus loquendi Scripturæ, in qua Prophetæ appellantur videntes, de quo legi potest Isidorus libro 7. Ethymologiarum cap. 8. & est optimum testimonium, quod de Davide dedimus num. 111. & illud, quod dedimus de S. Jo. R. P. Gormaz Theolog. Tom. 1.

anne Evangelista num. 22. quæ, licet rem istam certâ non faciant, ut habet Exim. Doctor loco supra citato, at faciunt illam valdè probabilem, quod satis est ad rem nostram; & de Moysè, Davide, & Eximijs Prophetis valdè verisimilem, atque etiam magis certam de beata Virgine, quæ etiam per fidem ambulavit; ergo negandum non est, quod possit in eodem intellectu componi fides cû evidentia in attestante.

## SECTIO II.

## Solvuntur Opposita.

Objicies 1. contra primam Assertionem. Non potest aliquis in humanis cognoscere Petrum ex voce, quando intuitivè illum non videt, quin olim Petrum de facie cognoverit; atqui nullus viator cognovit Deum faciem ad faciem; ergo non potest per vocem, sive revelationem divinam certò cognoscere, Deum esse illum, qui loquitur. Respondeo 1. Omisissis duabus præmissis nego consequ. Ratio est, quia in humanis nullus homo habet virtutem, ut elevet intellectum alterius ad cognoscendum effectum, seu locutionem cum loquente connexionem; Deus autem potest elevare intellectum humanum; ut cognoscat internam Dei locutionem, quam infundebat Prophetarum mentibus connexionem cum Deo loquente; unde in hac controversia nulla tener paritas ex humanis ad divina. Respondeo 2. neg. maj. quia, ut constat ex num. 519. & patet in cæcis à nativitate, adhuc in humanis, quin aliquis alterum de facie cognoverit, potest illum certò certitudine humana ex voce cognoscere; unde etiam per elevationem supernam poterit homo certitudine infallibili per locutionem connexionem cum Deo cognoscere clarè Deum esse, qui loquitur, quin Deum de facie cognoverit.

Objic. 2. contra secundam Assertionem: rudes & imperiti Mathematici, qui demonstrationes Euclidis non percipiunt, quantumvis haberent evidentiam moralem de hoc, nempe quod omnes Mathematici testantur, veras esse demonstrationes Euclidis, & quod eorum testimonium non potest esse falsum; at non habent evidentiam de ipsis propositionibus Euclidis, siquidem illas nec percipiunt, nec intelligunt; ergo etiam, si haberemus evidentiam de hoc, quod Deus, qui est prima veritas infallibilis, revelaverit mysteria Trinitatis, & Incarnationis, adeoque quod hæc mysteria sint vera; at quia nec percipimus, nec intelligimus ipsa mysteria, non habemus evidentiam de mysterijs revelatis; proindeque evidentia in attestante satis non est ad evidentiam rei attestatæ. Confirm. 1. Quod non est evidens ex terminis per modum primi principij, aut per cognitionem intuitivam, non potest fieri evidens, nisi per demonstrationem; atqui mysterium Trinitatis, & Incarnationis ratione evidentia in attestante non essent evidentia no-